OFFICIVM
S. VENANTII
MARTYRIS,

Semiduplex.

A Sac. Rit. Congreg. recognitum, & approbatum.

De mandato Sanctiſsimi D. N. D. CLEMENTIS
Diuina diſpoſitione Papæ X. in Breuiario
Romano apponendum.

Et ab omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui ad horas Canonicas tenentur recitandum de præcepto die 18. Maij.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMÆ, Ex Typographia R. Cameræ Apoſt. 1670.
Superiorum permiſſu, & Priuilegio.

Google

VRBIS, ET ORBIS

Die 18. Maij.

IN FESTO S. VENANTII MARTYRIS.

SEMIDVPLEX.

Officium &c. omnia de Communi vnius Martyris tempore Paſchali, præter Hymnos ad Veſperas, Matutinum, & Laudes, Orationes, & Lectiones ſecundi Nocturni.

AD VESPERAS

Hymnus.

Martyr Dei Venantius
Lux, & decus Camertium
Tortore victo, & iudice
Lætus triũphũ concinit.
Annis puer, poſt vincula,
Poſtcarceres, poſt verbera
Longa fame frementibus
Cibus datur Leonibus.
Sed eius innocentiæ
Parcit Leonũ immanitas
Pedeſq; lambũt Martyris
Iræ, famiſq; immemores.
Verſo deorſum vertice
Haurire fumum cogitur.
Coſtas vtrinq; & viſcera,
Succenſa lampas vſtulat.
Sit laus Patri, ſit Filio
Tibique Sancte Spiritus
Da per preces Venantij
Beata nobis gaudia.
Amen.

AD MATVTINVM.

Hymnus.

Athleta Chriſti nobilis
Idola damnat gentiũ,
Deique amore ſaucius
Vitæ pericla deſpicit.

Loris reuinctus aſperis
E rupe præceps voluitur:
Spineta vultum lăcinant,
Per ſaxa corpus ſcinditur.
Dum membra raptăt Martyris
Languent ſiti ſatellites:
Signo Crucis Venantius
E rupe fontes elecit.
Bellator ò fortiſſimè
Qui perfidis tortoribus
E caute præbes poculum,
Nos rore gratiæ irriga.
Sit laus Patri, ſit Filio
Tibique ſancte Spiritus
Da per preces Venantij
Beata nobis gaudia.
Amen.

AD LAVDES.

Hymnus.

DVm nocte pulſa Lucifer
Diem propinquă nunciat
Nobis refert Venantius
Lucis Beatæ munera.
Nam criminum caliginem
Stygiſque noctē depulit
Veroque Ciues lumine
Diuinitatis imbuit.
A quis Sacri baptiſmatis
Luſtrauit ille patriam
Quos tinxit vnda milites
In aſtra miſit Martyres.
Nunc Angelorū particeps
Adeſto votis ſupplicum:
Procul repelle crimina
Tuumque lumen ingere.
Sit laus Patri, ſit Filio.
Tibique ſancte Spiritus
Da per preces Venantij
Beata nobis gaudia.
Amen.

Oratio.

DEvs, qui hunc diem B. Venantij Martyris tui triumpho cōſecraſti, exaudi preces populi tui, & preſta, vt qui eius merita veneramur, fidei cōſtantiam imitemur. Per Dominum &c.

IN II. NOCTVRNO:

Lectio iv.

VEnantivs Camers quindecim annos natus, cum Chriſtianæ Religionis accuſaretur apud Antiochum, qui ſub Decio Imperatore Camerino præerat, in Porta Ciuitatis Præſidi ſe obtulit, quem ille pollicitationibus, ac terroribus diù tentatum flagris cædi, & vinculis aſtringi iuſſit; Sed ijs mirabiliter ab Angelo ſolutus lampadibus poſtea aduritur, atque inuerſo ore fumo ſuppoſito ſuſpenditur. Eius cōſtantiam in tormentis demiratus Anaſtaſius Cornicula-

cularius, & quod eum ab Angelo iterũ ſolutum candida veſte ſupra fumũ ambulantem vidiſſet, in Chriſtum credidit, & à Beato Porphirio Presbytero cum familia baptizatus, paulò poſt martyrij palmam, cum eodem promeruit.

Lectio v.

AT Venantius Præſidi ſiſtitur, & ab eo iterũ fruſtra tentatus, vt Chriſti fidem desereret, in carcerem conijcitur, quò Attalus Preco mittitur, qui ei dicat ſe quoque Chriſtianum fuiſſe, & ei nomini propterea renunciaſſe, quod cognouiſſet inane eſſe fidei commẽtum, quo Chriſtiani præſentibus ſe abdicant ob vanam futurorum ſpem. Verum nobilis Chriſti athleta callidi hoſtis inſidias non ignorans, diaboli miniſtrum à ſe penitùs reiecit, quare ad Præſidem iterum adducto omnes contuſi ſunt dentes, maxillæque confractæ, atq; ità cæſus in ſterquilinium deijcitur. Sed inde ab Angelo quoque ereptus rurſus ſtetit ante Iudicem, qui Venantio adhuc loquẽte è tribunali cecidit, & in ea voce, verus eſt Venantii Deus, noſtros Deos deſtruite exclamans expirauit.

Lectio vj.

QVod cum Præſidi nũciatum eſſet, ex templo Venantium Leonibus obijci iuſſit, qui naturali feritate omiſſa ad eius ſe pedes abiecerunt, interim ille populum Chriſti fidem edocebat, quare inde amotus iterum in carcerem traditur, cumque poſtridie Præſidi referret Porphirius, ſe per viſum noctu populos, quos Venãtius aqua tingebat clariſſima luce fulgentes ipſum verò Prẹſidem obſcuriſſima caligine opertum vidiſſe, Præſes ira incenſus eum illicò capite plecti imperat, deinde Venantium per loca vepribus, & carduis conſita tradi vſque ad Veſperam. Is cum ſemianimis relictus eſſet, manè ſe iterum Præſidi præſentauit, cuius iuſſu ſtatim è rupe præcipitatur, ſed indè etiam diuinitùs ereptus denuò per loca aſpera ad mille paſſus trahitur, vbi militibus ſiti æſtuantibus in proxima conualle ex lapide, in quo, & genuum formam reliquit, ſicut etiam

nunc

nunc in eius Eccleſia videre licet, Crucis ſigno à Venantio facto, aquæ manarũt. Eo miraculo plures permoti in Chriſtum crediderunt, quos omnes Præſes eò loci vna cum Venantio capite feriri iuſſit. Fulgura, & terremotus eo tempore ità magni fuere, vt Præſes aufugeret, qui paucis tamen poſt diebus diuinam haud valens effugere iuſtitiam turpiſſimã mortem oppetijt. Chriſtiani interim Venantij, & aliorũ corpora honorifico loco ſepelierunt, quę Camerini in Eccleſia Venantio dicata condita adhuc ſunt.

IN III. NOCTVRNO.

E *Vangelium*. Ego ſum vitis vera & Pater meus &c.

Homilia S. Auguſtini Epiſc. *vt in communi Martyr. tempore Paſchali.*

Miſſa. Protexiſti me Domine &c. *de eod. comm. Orationes propr. Prima*, Deus, qui hunc diem &c. *vt ſupra.*

Secreta.

HAnc oblationem omnipotens Deus B. Venantij merita tibi reddant acceptam, vt ipſius ſubſidijs adiuti gloriæ eius conſortes efficiamur &c.

Poſtcommunio.

SVmpſimus Domine æternæ vitæ Sacramenta te humiliter deprecantes, vt B. Venãtio Martyre tuo pro nobis deprecante, veniam nobis concilient, & gratiam. Per Dominum &c.

Si autem celebretur extra tempore Paſchali, Omnia dicuntur, vt in Communi vnius Martyris extra tempore Paſch. præter ſupradicta, & in tertio Nocturno. Euangel. Si quis venit ad me &c.

Homilia S. Gregorij Papæ. *Miſſa*. In virtute tua Domine &c. *vt in communi vnius Martyr. non Pontif. Orationes, vt ſupra, & Euangel.* Si quis venit ad me &c. *de commun. Mart. Pont.*

SAcrorum Rituum Congregatio, etiam annuente Sanctiſſimo, ſupradicta omnia, nempè Hymnos, Orationes, et Lectiones proprias Sancti Venantij Martyris, cum eius officio ſub Ritu ſemiduplici de præcepto recitandi die 18. Maij ab omnibus vtriuſque ſexus tàm ſæcularibus, quàm Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, et in Kalendario Breuiarij, et Miſſalis Romani apponenda, reuiſa per Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Bona, et per eumdem in eadem Sacra Congregatione relata, approbauit, ac imprimi poſſe conceſſit. Hac die 8. Nouembris 1670.

M.Epiſc. Portueñ Card. Ginettus.

Loco † Sigilli.

Bernardinus Caſalius S.Rit.Congreg.Secr.

nunc in eius Eccleſia videre licet, Crucis ſigno à Venantio facto, aquæ manarũt. Eo miraculo plures permoti in Chriſtum crediderunt, quos omnes Præſes eò loci vna cum Venantio capite feriri iuſſit. Fulgura, & terremotus eo tempore ità magni fuere, vt Præſes aufugeret, qui paucis tamen poſt diebus diuinam haud valens effugere iuſtitiam turpiſſimã mortem oppetijt. Chriſtiani interim Venantij, & aliorũ corpora honorifico loco ſepelierunt, quę Camerini in Eccleſia Venantio dicata condita adhuc ſunt.

IN III. NOCTVRNO.

E*Vangelium*. Ego ſum vitis vera & Pater meus &c.

Homilia S. Auguſtini Epiſc. *vt in communi Martyr. tempore Paſchali*.

Miſſa. Protexiſti me Domine &c. *de eod. comm. Orationes propr. Prima*, Deus, qui hunc diem &c. *vt ſupra.*

Secreta.

HAnc oblationem omnipotens Deus B. Venantij merita tibi reddant acceptam, vt ipſius ſubſidijs adiuti gloriæ eius conſortes efficiamur &c.

Poſtcommunio.

SVmpſimus Domine æternæ vitæ Sacramenta te humiliter deprecantes, vt B. Venãtio Martyre tuo pro nobis deprecante, veniam nobis concilient, & gratiam. Per Dominum &c.

Si autem celebretur extra tempore Paſchali, Omnia dicuntur, vt in Communi vnius Martyris extra tempore Paſch. præter ſupradicta, & in tertio Nocturno. *Euangel.* Si quis venit ad me &c.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Miſſa. In virtute tua Domine &c. *vt in communi vnius Martyr. non Pontif. Orationes, vt ſupra, & Euangel.* Si quis venit ad me &c. *de commun. Mart. Pont.*